

Confer notas ad artic. 38. conclus. 5. & conclus. 4.

## ARTICULUS XLI.

*Incendii indicia.*

I. Incendii, quod ex fulmine cœlesti, vel culpâ inhabitantium exortum non est (vide *Matth. Berlich. par. 4. concl. 25. num. 1. cum seqq. Pauli Sleuphneri Disputationem Inauguralem de incendiis, dissp. Basiliensibus insertam, Metzger. conf. 11.*) sed immissi indicium peculiare est, si quis clandestinè & occultè præparaverit igneas faces, vel tela ignea, vel alia fomenta succendentia, quæ commodè immitti possuat in ædes, vel alia ædificia, & paulò post incendium exortum sit. Nam, si alia indicia concurrant, sub tormentis interrogari debet, an ignem immiserit? *Zieritz. hic, in initio, & verb. si quis.* Nisi tamen vivis, & luce meridianâ clarioribus rationibus demonstrare possit, se eâ materiâ vel re ad finem licitum, neq; pœnâ dignum adhibuisse, aut destinasse, quo casu impunis dimittendus est, *Matth. Steph. hic*, ubi scribit hanc incendendi voluntatem paratam, & minas; æquè ut factum, punire leges. Idem esse puto, si minæ præcesserint, sive verbis, sive literis diffidatoriis factæ dicantur, sive alio modo *durch Brandzeichen / Zang. d. c. 2. num. 190.* quem imitatur *Metzger. de torturis reorum, conclus. 150.* ubi tria notabilia addit, & *concl. 151.* pulcram proponit quæstionem: An, si conductoris domus fuit combusta ab inimicis locatoris, teneatur conductori ad omnia damna, & interesse? Respondet affirmativè. Damnum enim ab inimicis alicujus illatum, ejusdem culpâ illatum præsumitur, & proinde ab illo resarciendum, licet inimicitiae causam ille verè non dederit, *l. si merces, §. culpa, ff. locat. Eberh. conf. 4. nu. 4. Ruin. conf. 147. lib. 1. Franc. Becius conf. 45. nu. 20. Bart Bertaz. conf. 288. nu. 5. Matth. Berlich. part. 4. concl. pract. 25. n. 67.* Vide me *discurs. Acad. 3. miscel. 13.*

## ARTICULUS XLII.

*Proditionis indicia.*

Proditionis indicium peculiare est, si quis intraverit furtim præter morem, & quidem dolosè domum ejus, qui postea proditus est, & nihilominus hactenus prætenderit, sibi ab eo insidias structas fuisse, *Zang. d. c. 2. num. 192. 193.* quem quoq; imitatur *Steph. hic.* Confer *Bernh. Zieritz. hic.* Proditorius etiam hostium interitus detestandus, *Elias Reusn. in hort. histor. polit. coron. 2. flor. 8. p. 172. 173.* Vide *Philip. Camer. cent. 1. medit. hist. 7. Chron. Carionis, lib. 2. p. (mihi) 212. Christ. Besold. 2. polit. 7. §. 3. concl. 26. p. 776. Gobler. hic, in auctario, p. 48.* Vide notata ad art. 124. ubi *Goblerus* notat familiare esse Saxonibus & Brunsvicensibus, ut joco & jam quemlibet in sua lingua familiarem appellent: *Du arge Berreer.*

## ARTICULUS XLIII.

*Furti indicia.*

Vide notas ad art. 38. conclus. 3.

ARTI.